fidelitatem etiam amoremque in Regem suum instillarent! ¿Quid, si animo moventem repetentemque exempla suorum ipsius Clarissimi Patris facta, gesta edocebant, et excitabant? Nam dum in reductione de la Sierra Gorda juvenem illum Tyronemque in Militia haberet, ¿quoties illius animos accendisse putatis colloquendo: Disce puer virtutem, et laborem ex me, fortunam ex aliis? quod Æneas ad natum Julum. Toties ridens fortasse illum in Barbaros juvenili-ter furentem dixerit.

¿ Macte nova virtute puer, sic itur ad astra?

Ergo, quo Duce, ac belli Magistro usus est, ejus quoque egregia in armis pro Ecclesia, ac Rege fuit asecutus. Dum enim gloriosæ memoriæ Josephum ab Escandon, Novi Santander Dominatorem, Expugnatoremque dicimus, ¿nonne felicem ejus propaginem **EMMANUELEM** ipsius Regni Conservatorem, Propugnatoremque appelabimus? Undecimum agens ætatis suæ annum, jam Ducis vicem gerens militabat; a quo honore per varios meriti, ac militiæ gradus usque ad Chiliarchatum, seu Legionis Tribunatum asumptus est. ¿Quo autem jure? Quibus ser-

vitiis? Testificentur Tamaolipam novæ, et veteris Regiones quarum feroces incolas et animose persequutus est, et feliciter fugavit, perterrefecit raptisque rebus, pecudumque manipulis sæpe sæpius spoliavit. Testetur inculta Natio Sybayonum quæ rupes præaltaque Montaña Matricis cacumina inhabitans ad decem annos insidiarum bellum distulerat; quæque ipsius acri industria vigoreque animi omnino destructa atque consumpta est. Testis sit Barbarus ille terribilis Lipanus, Zapata Sas, cujus aciem seu potius turmam quatuor illius regionis Orientalibus Provinciis insidiantem: de processu in Texas, stipatus vicinis de Revilla Camargo, et Reynosa, paucisque militibus de Laredo, contregit, exanimavit; quod indomitos illos agrestesque homines compulit, ut finem armis imponi curarent, perorantibus pacem Canoso, et Baptista, eorum Præfectiunculis, sive Ducibus. Testes Pessones, ab eodem in humilem concordiam, in civilem societatem, atque in conversionem, seu Doctrinam adstricti, et perducti. Testes Tamiacanes, quorum XIX, pro sua quisque Tribu, Legati, et Oratores ipsius fortitudine permoti, quam in excursione anni XC experti sunt; in Capitali Mexico cernua petiere, ut ad margines de el Rio Colorado ex ipsis Missionis locus, seu Conversio efformaretur, statueretur que. Testis sit demum tota Coloniæ feracissima Provincia quam plus decies septem

1020001777

incursionibus, et cladibus superatis, fractis, dispersisque Indis quos in ipsos angores seu vallos, vel potius receptacula, caveasque insequebantur; pacificavit, bonisque, ac Personis securitatem dedit, conciliavit; seditiosus pluximis in gregali catena ad Metropolim Mexicum perductis. Hucusque de actione militari, quam per quadraginta sex años, Deo ac Regi inserviens, active, prudenter exercuit, ambabus Majestatibus gratus, utilisque: ¿ quam vero sui rationem reddidisse existimatis in gobernatione ęconomica, judiciali, et politica:::

Nempe ipse postquam Pro-dux Generalis Militaris, et Politicus Novi-Santander fuerit renunciatus, ter clavum difficillimę illius Provincię tenuit, Magistratum, Judicaturam, Armorum itidem Imperium gerens: Pręses etiam de Fexas paulo post delegatus. Ille (ex speciali mandato Exmo de Florez) oppidum sub advocatione de la Divina Pastora ordinavit, eidemque formam Regiminis induxit. Ille in inaccessis cautibus Famaolipam, duas Villas, seu oppida (nostrę Dominę de Guadalupe, et Sancti Josephi) de commissione item Percelebris Revilla-Gigedo condidit, erexit, et stabilivit. Quin et propriis sumptibus in hoc etiam felicis memorię Primi Comitis de Sierra Gorda, vestigio insistens, qui pluximas Missiones seu Doctrinas tam in Sierra Gorda, cui perduelli jugum Hispanę Dominationis rejexit, quam in Littoribus Sinus Mexicani qua late patent, quibus de novo Christianissimum et civilitatem invexit; propriis etiam magnisque impensis fundavit, auxit, necessariisque providit) sic inquam, Comes Noster ęre proprio Conversionis Sanctus Vincentio, et Francisco Dicatas constituit, direxit, fovit, pręque oculis semper habuit (C.) ¿ In cunctis autem hujuscemodi muniis ac muneribus quę in Defuncto Comite authoritas? quę prudentia? quę dexteritas in rebus gerendis? quę firmitas cordis et animi? quę solertia? quę Artis Militaris tactica, Artis illius militaris, quę Alexandro, Cyro, Pyrrho, Hannibali, Sapionibus etiam, Pompeius, quin et Eugenis, Alexandrisque Farnesio prorsus ignota, non armatus exercitus, non ordinatas fideleisque acies publico, veracique Marte devincit; sed in fragosis montibus, in cavernis speculisque sub etiam viride pratum (scilicet latet anguis in herva) Barbaros inmanesque Indos delitescentes, atque ex improviso in prędam ruentes, non tam obcurat, quam venatur, non tam triumphat, quam fugat et expavescit? Pestis aspera abconditur in Silvis quam fugere, et devitare, non minor victoria est, in temui labor, ac temuis non gloria.

(C.) Constat hęc omnia ex folio, seu breviculo memoriale meritorum.

Præcipue tamen, ¿ quæ ejus Comitis Judicis probitas, firmaque, et recta justitiæ administratio? ¿ Quæ jurium omnium, Legumque, Superiorumve dispositionibus fidelitas? An ¿ ut plerique similes Filiis (d) declinavit post avaritiam, accepit munera, aut pervertit judicium? (e.) ¿ An consideravit (negligens) personam pauperis, honoravitque vultum potentis, injuste judicans proximo suo? ¿ Quis de EMMANUELE ab ESCANDON queratur? ¿ Quis questus ciet, vel delationem haudiniquam faciat? Audite, o Judices, erudimini, qui judicatis terram; audite disceptantes, altercantesve, et quod sit justum unicuique tribuite: civis sit ille, sive peregrinus; dives an pauper; fœlix seu miser; annulum habeat aureum, (f.) seu objiciatur veste sordida; nulla vobis sit personarum distinctio, nulla varietas, quia Dei, Regisque vices, et judicium facitis. Salus publica, pupillorum, viduarum, orphanorum, miserorumque omnium defensio, justitiæque constans et perpetua voluntas sint vobis in delitiis, in::::: ¿ Quousque tandem nostra

sese protendet Oratio? Optimum jam Civem, et Societatis Amicum Præclarum Comitem lugeamus; seu potius de fraterna ejus Charitate lætemur, quæ ut pie conjicimus portas Paradysi eidem aperuit; nam Charitas operit (g.) multitudinem peccatorum. ¿ An etenim ex illis sumus, qui ut suum de origine Societatis, fundamentisque inæqualitatis inter Cives absurdum Systema adaperiat, utque omnia juris Gentium principia evertere possint, statum hominis naturalem primævum, et originarium incultum omnino belluarumque similem esse prætendunt; quasi si homo ex suis intrinsecis non esse directus juræ naturæ ad societatem recte ordinatam, et ad virtutem socialem seu civicam; quæ tamen dono gratiæ elevetur ad opus supernaturale, et vitæ æternæ meritorium? ¿ Vel aliorum ejusdem Furfuris insaniam adamamus, qui primariam hominum conditionem, non jam tantum silvestrem referunt, sed in statu belli universalis omnium in omnes, et singulorum in singulos, belli inquam, implacabilis, cum ex ipsa naturæ constitutione proveniat, furiali delirio reponunt? Apage apage his Fabellis; sed Fabellas eheu! quæ totum à sedibus imis hominem, mundumque corrumpunt, et pervertunt. His gerris, ac nugis solida illa Servatoris nostri documenta, quæ virtutes civico morales perficiunt, Evangelicæque Charitatis prima elementa fuere: Dignissimus Comes substituens, hisque imbutus beneficiis principijs in ea veræ Humanitatis Officia descendit, quæ ipsius Civibus ama

bilem vitam, mortem vero etiam horridis Barbaris, flebilem effecere, ac reddidere. At quidem Pancho-coxo, et Camaxiguais fero planctu, ululatuque suam dormitionem deplorarunt; ¿ quidni et nos Viro huic beneficentissimo Sacra hac parentatione nostrisque lessibus justa faciemus.

Sed Optimi in eo Civis qualitates expendamus: ¿ Quis unquam eo in primis verior, aut veratior? quod quidem hominis socialis, prima ac præcipua conditio est; nam tolle veritatem, et protinus fides publica evanescet: At COMES NOSTER talem sese omnino exhibuit, qualis intus sibi apparebat; verba ejus, et facta ingenuitatem, animique candorem ingenitum ostenderunt; ¿ Quis ille gratior? Etenim grato memorique semper animo fuit erga beneficium acceptum: ¿ Quid eodem placidius aut urbanius? Dicant qui eo usi fuere, etiam inferiores, etiam inimici, etiam qui injuriis diris faciem ejus lacessebant; referant, ¿ an non prorsus facilis fuerit Communi omnium necessitudini et familiaritati? O vos superbi, indoleque feroces, qui ceteros despectui homines habentes, cor tumens, oculos erectos, cervicem elatam, torvam, otiosamque loquelam, velut semi-Deum genus præsefertis; ¿ an nescitis, quod (h.) omne Animal simile sibi; sic et homo proximo suo? Et quia nec (i.) cuncta possunt esse in hominibus, cum non sit immortalis Filius hominis? Ecce vos estis ex nihilo, et opus vestrum ex eo, quod non est: abominatio (j.) estis coram Domino, qui creavit vos, et apud homines, qui oscitantiam fastumque vestrum et execrantur, et remurmurant.

DEFUNCTI COMITIS conversatio fuit timida, humilis, modesta, affabilis, sincera, simplex, longeque a fastu illo, mentisque et oris tumore distans, quæ vos non tantum Evangelicæ moderationis ignaros quantum inciviles inhonoratos, inurbanosque ostendit: adde quod in mensa decens erat frugalitas; in vestitu, et ornatu sobrietas; in apparatu cultuque sui parcitas, simplicitasque conjunctæ.

Accedebant in gratiam omnium conciliandam Religio devota; Pietas erga Parentes et Patriam; observantia erga Seniores, aliosve Officio, aut Dignitate præstantes. Magnanimitas, seu moderatio, sobrietasque animi in honoribus; Liberalitas erga omnes; Magnificentia Verecundia nobilis; comitas, Benignitas, tolerantia injuriarum::: Si autem quæ ad Virum publico bono occupatum, dotes, pertinent, attendatis, Optimum etiam Civem, Dignumque Regis Ministrum in eo agnoscere fas est. Quemadmodum enim privatus Civis fuit verus absque simulatione, et hypocrisi; sincerus absque adulatione, et jactantia; Gratus fidelisque Amicus sed non in gratitudine, aut amicitia injustus, vel turpis; Comes et Humanus, festivus

etiam, lepidique Sermonis, sed non facetus, parasitus Scurra vel aliunde ceteris demissus et abjectus: sic in Duce Magistratuque reperiebatur Fortitudinem sine temeritate, et audacia; Activitatem sine vecordia, et presumptione; Honorem absque ambitione, desideriove inanis glorie; Zelum absque ira et crudelitate; Justitiam Vindictamque publicam, sed mansuetudine, et clementia placabilem: Summatim, Judicium rectum, justum, integrum, sed benignum, mitem, ab invidia, et discordia, a contentione, et rixis; partiumque studio maxime alienum.

Super omnia autem charitate prevaluit, que proximorum, communemque utilitatem propter Deum querit, et amat. Unum tamen in hoc laudis specimine pro cunctis loquatur opus, quod de dilectione inimicorum est: nam hec christianam Charitatem non tantum probat, et comendat quantum illius est summa, et apex dilectionis. Patet ergo Rescriptum Regium pie felicisque recordationis Caroli III., ab Exmo Bailio Bucareli revisum et executioni mandatum, quo Defuncto Comiti integra amplaque conferebatur potestas, (postquam quorundam in Patrem Comitem delationes, et accusationes in fundatas, irritaque declaratum fuit,) ut contra illos, tamquam injustos Actores jure procedere; ab eisdem nocumenta et damna, que Domo ac Familie sue de prolixissima illa lite emanarant, repetere, atque juste (K.) exigere poseret. — Quid ad hec EMMANUEL ESCANDON? Illo contentus: Habe curam de bono nomine: non tantum estimata omnia cause impendia, que ad ultra 28000 uncialium argenteorum numerorum creverant, condonavit; sed et causantes, quo usque illi potis fuit, adjuvit, fovit, milleque alia ejusdem monete pondera illis gratificandis, excipiendis assectandis generose expendit: idipsum erga alios completis oppositores et hostes; — Proh Evangelice Charitatis ostentum!

Ut quid postea commemorare, vel elemosinas continuo distributas; vel stipendia Prefecture sue manualia, a quibus solvendis numquam non disceptantes liberavit; vel decem millia Ponderum seu denariorum argenteorum per prima vice, rursus vero totum suum Honorarium Catholico Regi in subsidium bellicum renuntiata, et donata; vel demum cetera illa omnia, que nostri Herois beneficentiam, et latitudinem cordis usque ad po[...]ultra sublimare, efferreque possunt? Que cuncta Christiane charitatis supererogatoria officia exemplarissima bonorum suorum ultima, Supremaque dispositione clausit: preter enim plurissima quedam Legata Remissionesque et donationes clientibus, Mercenariis, Usurpatoribus etiam

(K.) Tales dichos Herederos y Albaceas reservo el uso de sus derechos contra quantos puedan y deban deducirlos asi por los daños atrasos y menoscabos

fructum suorum laudabiliter factas, totam liberi sibi æris massam, quæ quidem ad copiosam sum-mam ascendit, numeraturque, in suffragia pro Purgatorijs Sanctis Animabus cessit destinavit, reliquit. Quo certe Amicos sibi ex mammona iniquitatis querens, et faciens; tot prose ante Supremi Tribunal Judicis constituit, præmisit Patronos, Advocatos, quot prædilectas Christi Sponsas, Crucis caracthere jam signatas, expulsas tamen, incarceratasque Animas vel allevavit, vel potius omnino è pœnis eripuit. Unde in magnificentiæ ipsius commendationem, majoremque ostensionem; quod Luminari Maximo, Rubeo Sydere Academicus Picinellus (1.) accomodat lemma, et epigraphem, edipsum scilicet. Major in suo occasu, Defuncto nostro Comiti et suscipiatur, et in laudis ejus coronam vindicemus.

Satius autem erit, si uno ex insignibus quæ nobilitatis Familliæ ESCANDON monumenta præbent, Clarissimi Comitis memoria gestaque exprimantur, symboloque potentur: nimirum Clypeo, seu Umbone splendidissimo aurea Cruce decorato, distinctoque, quem talis inscriptio brevi lacomismo exhornet, et declaret A CRUCE LUX: nam

revera a Cruce tota Defuncti Comitis claritas et honos Crucis amor et exemplo Deum timuit: Regem honorificavit: Fraternitatem dilexit: Pro Crucis fulgore tot in conservatione, et Defensione Coloniæ tulit labores, sustinuit ærumnas. ¿ Quos etenim itinerum longos an fractos superare debuit! ¿ Quas diversarum Regionum intemperies, elementorum furibundam vim, rigidiores anni Stationes experiri, vincere fuit opus? ¿ Quoties epulis ac vestibus insolitis, insuetisque ali, et uti? ¿ Quoties fluminum lubrica vada tranare, pluviarum imbre perfundi, montium rupiumque aspera cacumina trajicere; sub dio sub Jove sereno dormire, morsibus, aculeisque stellionum, scolopendrorum, phalangiorum, culicum, ac aliorum insectorum turbæ obnoxium et expositum? Quod totum pro signo Crucis exaltando, erigendis Labaris Religiones. LUX ERGO A CRUCE. Age ergo, Faciamus mortuo nostro luctum secundum meritum ejus, ita enim suadet Ecc. (11.) Nobillissimumque ejus Spiritum in Coelos pergentem, ut de virtute Crucis, cui se adeo credidit, expectare est; etemulemur, et siccis oculis vel pregaudio dulciter manantibus suspiciamus, et sequamur. Utinam saltem corpus ejus christalina lacrimarum nostrarum Urna conclusum potuissemus immortalitate, et longinquæ posteritati transmittere.

DIXI.

CAPILLA ALFONSINA
UANL

CAPILLA ALFONSINA
U. A. N. L.

Esta publicación deberá ser devuelta antes de la última fecha abajo indicada.

107
18